



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ij. An priuetur, qui pecunia conductus occidit infidelem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

tio sit æstimabilis (vt si verbi gratia promissum sit ei, quod mandans nunquam defuturus sit in ipsius necessitatibus) quia adhuc talis promissio est pretio æstimabilis, & sic æquivalens pecuniæ. Quod inde confirmatur; quia in omni sententia lat est, vt pariat vltimam, & simoniam. Atque ita docent Iustus Osdesob. in *pract. crimin. tit. 2. cap. 10. num. 9.* Vincentius de Franchis *decis. 170.* Mastrillus de *indulto, cap. 31. n. 11.* (qui dicunt, sic fuisse decisum in Consilio Neapolitano) Villagur. de *extens. leg. tit. de crimine assassini, n. 8.* & alij complures Doctores, apud Farinacium *q. 113. n. 145.* & in *append. cap. 8. num. 231.* quamvis ipse contrarium sentiat cum Baldo *consil. 383.* Bosio *tit. de mandatis ad homicid. n. 35.* & *consil. 170. num. 18.* & *segg. lib. 1. Bursato consil. 20. n. 4. lib. 1. Bertazolio consil. 341. n. 38. vol. 2. Hondedeo consil. 93. n. 66. lib. 2. Ruino Iuniori consil. 685. n. 12. lib. 6. Peregrino de immunit. cap. 7. n. 40. Ambrosino cap. 7. n. 9. Grammatico vol. 11. n. 29. Corneo consil. 249. lib. 1. Eugenio consil. 76. num. 138. Diana part. 6. tract. 1. resol. 11. Vulpello consil. 143. n. 5. Baiard. ad Clarum in §. Assassinium, n. 7. Barbola de iure Eccl. lib. 2. cap. 3. num. 97. Lezana verb. Immunitas Eccl. num. 13. & Bonacina disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 4. n. 18. ex eo, quod promissio incerta, & generalis nullam (vt inquit ipsi) obligationem pariat, & sic, hoc stante, gratis fieri actio censeatur; quod tamen ex dictis mihi minus probatur, & sic quod dixi, arbitror esse probabilius.*

13 Requiritur tamen, quod promissio sit acceptata; quia alioquin illa, cum nullam pariat obligationem, non est pretio æstimabilis, & sic non æquivalens pecuniæ. Atque ita docent Baldus *loc. supra cit.* Decian. *tract. rim. lib. 9. cap. 30. n. 17.* Farinac. *it. q. 113. num. 147.* Grammaticus *consil. 11. n. 19.* (qui subdit non sufficere, promissionem postea esse executam, quia requiritur, vt interueniat conuentio, & contractus mutue voluntatis inter mandantem, & mandatarium) & Riminaldus Iunior *consil. 685. num. 12. vol. 6. qui num. 14. subdit, non sufficere præsumptionem, quod mandatarius præsumatur acceptasse promissionem mandantis fauorabilem sibi factam.*

14 Requiritur secundò, quod pecuniæ, vel alterius rei æquivalentis promissio acceptata, & etiam datio sit pro ipsa occisione, non autem pro expensis itineris ad occidendum, vel pro occisore à morte eripiendo, vel pro re aliqua simili, &c. quia ad naturam assassinij requiritur, quod non gratis, sed pecuniæ, vel alio æquivalenti occisio fiat, vt supra dicebatur, & docent Baldo *consil. 170. n. 21.* & 23. Bosio *tit. de mandatis ad homicid. n. 34.* Vulpellus, quem citat, & sequitur Ambrosin. de *immunit. c. 7. n. 9.* Farinac. de *homicid. q. 123. n. 158.* & in *append. de immunit. c. 8. n. 127.* Lezana verb. Immunitas, num. 13. & Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 4. num. 18.*

15 Vnde, si quis nulla interueniente promissione, incautum aliquem occidat, vel occidi faciat, motus spe solum aliquid obtinendi, vel complacendi amico, vel succedendi in bona occisi, vel vincendi litem, assassinium non committit, & sic immunitate non priuabitur. Atque ita contra Ioannem Andreæ *cap. penult. im. de clerico non resid. & alios Doctores, quos citat Giurba consil. 70. num. 27.* & Graffius de *effectib. clericat. effect. 1. n. 701.* docent Baldus, Farinac. de *homicid. q. 123. n. 138.* & *segg. & in append. de immunit. cap. 8. num. 138.* Parif. *consil. 166. n. 2.* & *segg. lib. 4. Hondedeo consil. 83. n. 68. lib. 2. Grilenzonius consil. 45. num. 7. Mascardus de probat. tom. 1. concl. 138. num. 2. Antonius Gabriel commun. opin. tit. de malef. con. l. 1. num. 34. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 4. casu 360. num. 42. Peregrinus cap. 7. numero 48. Ambrosinus cap. 7. num. 8. Diana part. 6. tract. 1. resol. 11. in fin. Baiard. ad Clarum §. Assassinium, num. 11. Ambrosin. de *immunit. cap. 7. n. 9.* & Bonac. Th. Delbene de *Immunit. Eccl. Pars II.**

nacina *cit. punct. 4. n. 17.* An autem talis censendus sit proditor, constat ex dictis *dub. 20.*

Requiritur tertio (ad hoc, inquam, vt assassinus 16 immunitate priuetur) quod constet plenè, vel per testes, vel per confessionem partis, pecuniam hac de causa datam fuisse, cum alia de causa dari illa potuerit. Doctores, quos citat, & sequitur Peregrinus *cap. 7. num. 49.*

S E C T I O II.

An priuetur, qui pecunia conductus occidit infidelem?

S V M M A R I V M.

- 1 Assassinus est, & immunitate priuatur, qui pecunia, vel alio æquivalenti conductus occidit infidelem.
- 2 Fidelem, vel infidelem esse materialiter se habet ad crimen assassinij.
- 3 In sententia Cornei accusatus aliquem de assassinio debet probare assassinatum fuisse Christianum.
- 4 Textus expresse loquitur de occisore fidelis, non autem infidelis.
- 5 & 6 Infidelis quod sit verè proximus non obstat, quia textus in dicto cap. loquitur de proximo fidele, non de infidele: secus contingit in occisione proditorie facta, nam ibi non est apposta hæc limitatio.
- 7 In dubio quando sumus in territorio Christianorum proximus præsumi debet fidelis, secus in territorio contrario.
- 8 Præsumptio desumi debet ex communiter contingentiis.

EX dictis sequitur primò, quod assassinus sit, & immunitate priuetur, qui pecunia, vel alio æquivalenti conductus, occidit infidelem, quia esse fidelem, vel infidelem, materialiter, & impertinenter se habet ad crimen assassinij, alias neque etiam occidens per fidelem assassinium committeret: tum quia (vt supra dicebam) infidelis est verè proximus: ergo, &c. Atque ita docent Decian. *tract. crimin. lib. 6. c. 28. n. 18.* Farinac. in *append. de immunit. Eccl. lib. 1. c. 5. §. 4. n. 20.* & 21. Mar. Ital. de *immunit. lib. 1. cap. 5. §. 4. n. 20.* Henricus Bucerus *tract. de homicid. lib. 1. c. 3. n. 14.* Peregrin. de *immunit. c. 7. num. 39.* Bonac. *tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 5. n. 9.* & alij multi. Quamvis contrarium, & satis probabiliter, doceant Couar. *var. resol. lib. 2. c. 20. num. 10. vers. quinto.* Guttier. *pract. q. 99. Civil. lib. 3. q. 7. num. 8.* Clar. in *pract. §. Assassinium, vers. bene verum est.* Baiardus in *addit. ad Clarum ibi, n. 13.* Ambrosin. de *immunit. c. 7. n. 12.* vbi citat Corneum *lib. 1. consil. 249. n. 21.* asserentem, quod euaserit quidam Prælat, qui fuerat accusatus de assassinatus crimine, & non fuerat deductum in processu, seu libello, quod is, qui fuerat assassinatus, fuerit Christianus, & propterea admonet Aduocatos, vt id probent. Nouarius in *conclusionibus iuris Pontif. conclus. 43. n. 22.* Guazzinus de *fens. 1. cap. 38. n. 42.* Mascardus de *probat. lib. 1. concl. 137. n. 13.* Diana *part. 4. tract. 1. resol. 105.* & Farinac. *prius in q. 123. n. 33.* ex eo, quod textus in *1. de homicidio in 6.* expresse loquatur. Si quis occiderit fidelem: ergo tacite excludit, si quis occiderit infidelem: tum quia illa Constitutio facta fuit aduersus infideles, ne occideretur fidelis: ergo non potest conuenire occidentibus infidelem.

Neque obstat, quod infidelis sit verè proximus, quia poena hæc assassinij (rectè respondent ipsi) non incurritur pro cuiuslibet proximi occisione, sed solum pro

F occisione

occisione proximi fidelis : quamvis non sic in occisione proditorie facta contingat ; quia in hoc crimine non fuit facta limitatio ad proximum fidelem , sicut facta fuit in crimine assassiniij. Quapropter opinio hæc , ut dicebam , est etiam satis probabilis , quinimò ipsius auctores vocant eam communem , & receptam in praxi.

Cæterum , an in dubio occisus præsumi debeat potius fidelis , quam infidelis ?

- 7 Respondetur (si simus in territorio Christianorum , ubi infideles non permittuntur liberè habitare)
8 præsumi debere potius fidelem (nisi forsan appareat , fuisse infidelem , ut quia est circumcissus) quia præsumptio desumi debet ex communiter contingentibus , *leg. certi , §. quoniam , ff. si certum petatur , & docent Gutierrez Clarus , & Bonacina in locis supra cit.* Quidquid in contrarium asserant Ioannes Andreas , Alexander , Iafon , Anton. Gabriel , & alij , quos citat , & sequitur Mascardus *tom. 1. concl. 138. n. 17.* Gutierrez *lib. 3. præf. q. 7. n. 9.* Ambrosin. *de immunit. Ecclesiast. c. 7. n. 12. & 13.* & Farinac. *de immunit. c. 8. n. 121.* qui tenent , præsumendum esse potius infidelem ; nisi contrarium , saltem ex communi hominum opinione , probatum fuerit. Sed istorum opinio procedit , si non simus in territorio , de quo supra dicebam , sed in territorio contrario , de quo forsan citati Doctores loquuntur.

SECTIO III.

An priuatur , qui pecunia conductus occidit inimicum mandantis , & suum simul ?

SUMMARIUM.

- 1 Assassinus non est , nec priuatur immunitate , qui accepta , vel pacta mercede occidit mandantis , & sui ipsius inimicum.
- 2 Occidens inimicum mandantis etiam pacta pecunia , vel accepta , non occidit incautum , cum homo semper habeat occasionem sibi præcauendi ab inimico suo : idem dic etiam presente ipso mandante.
- 3 Nec non idem dic de milite occidente hostem.

1 Sequitur secundo , quod quamvis assassinus sit , & immunitate priuatur , quia pecunia , vel alio æquivalenti conductus , occidit inimicum mandantis tantum , assassinus tamen non sit , nec immunitate priuatur , qui eodem modo conductus , occidit inimicum mandantis , & suum simul , etiam cum sociis pecunia conductis , quia in tali casu non occidit incautum ; cum homo semper habeat occasionem præcauendi sibi ab inimico suo , & si non facit , sibi imputare debet. Atque ita docent Couar. *2. var. c. 20. n. 9. ad fin.* Peregrinus *c. 7. n. 45.* Farinac. *q. 123. n. 157.* & *de immunit. cap. 8. n. 132.* Bonacina *n. 18.* Lezana *n. 13.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 18.* & Ambrosin. *de immunit. Eccl. c. 7. n. 18.* Item Grammaticus *consil. 52. n. 49.* Vulpellus *consil. 143. n. 10.* & Hondedeus *consil. 87. n. 4. lib. 2.* qui subdunt , quod in tali casu , neque qui pecuniam dedit , sit propriè assassinus , sed potius instigator , seu inflammator.

3 Quinimò propter eandem rationem idem dicendum est , si occidat inimicum mandantis tantum , sed præsentem ipso mandante ; quia & in tali casu etiam mandatarius , cum occisus præcauere sibi deberet à mandante inimico præsentem , non occidit incautum. Atque ita docent Gabriel *consil. 180. n. 11. lib. 1.* Bertazolus *consil. 143. n. 15. vol. 1.* Farinac. *q. 113. n. 35. 99. & 148.* & *de immunit. c. 8. n. 133.* Diana *cit. resol. 18.* Hieron. Gabr. *consil. 170. n. 1.* & *seqq. lib. 1.* & Ambrosin. *cap. 7. n. 7.* qui ex Alciato

subdit , & rectè , idem dicendum esse de milite , qui occidit hostem , quia non occidit incautum. Accedit , quod non accepit mandatum ad occidendum hostem , cum quo bellum geritur.

SECTIO IV.

An priuatur , qui pecunia conducitur ad vulnerandum tantum ?

SUMMARIUM.

- 1 Assassinus non est , nec immunitate priuatur , qui pecunia , vel alio æquivalenti conducitur ad vulnerandum tantum , sed non ad occidendum.
- 2 Assassinus non est qui conductus ad occidendum , (licet per accidens) non occidit , sed tantum vulnerat.
- 3 Textus in cit. cap. 1. de homicid. in 6. loquens de mandante assassinum , punit affectum etiam effectum non secuto , non tamen loquitur de mandatario , qui ideo relinquatur dispositioni iuris communis.
- 4 Assassinus in sententia aliorum est qui conductus ad occidendum (licet per accidens) non occidit , sed tantum vulnerat , quia per se ipsum non stetit quominus sequeretur homicidium.
- 5 Restringe quod committat assassinum quoad affectum , non tamen quoad effectum.
- 6 In atrocißimis delictis punitur affectus , & conatus , etiam non secuto effectu , at non procedit quoad penam priuationis immunitatis.
- 7 Pœna ordinaria non intrat contra mandatarium , qui accepto mandato ad occidendum , tantum vulnerauit , contra Megalium.

Sequitur tertio , quod assassinus etiam non sit , nec immunitate priuatur , qui pecunia , vel alio æquivalenti conducitur ad vulnerandum , vel percutiendum tantum , & non ad occidendum ; quia cit. cap. 1. de homicidio in 6. loquitur tantum de interficientibus fidelem , non de vulnerantibus ; & pœnæ ex alio capite , præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ , non sunt ampliandæ , sed potius restringendæ. Atque ita contra quosdam docent Farinac. *de homicid. q. 123. n. 139.* & *de immunit. c. 8. n. 134.* Decian. *tract. crimin. lib. 9. cap. 30. n. 41.* Gutierrez *præf. q. 9. civil. lib. 3. q. 7. n. 69.* Baiard. *ad Clarum §. Assassinum , n. 2.* Vulpell. *consil. 143. n. 1.* Anton. Gabriel *opinion. commun. concl. 1. de delictis , n. 30.* Mascardus *tom. 1. concl. 138. n. 2.* Peregrin. *c. 7. n. 44.* Riccius *part. 1. decis. 112. n. 1.* Bonac. *disp. 3. q. 7. punct. 4. n. 20.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 18.* Lezana *verb. immunitas , n. 13.* & Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 7. numero 11.*

Quinimò idem dicendum videtur , si conducatur ad occidendum , sed tamen (quamvis per accidens) non occidit , sed tantum vulnerat ; tum propter eandem rationem iam supra dictam ; tum etiam quia cit. cap. 1. de homicidio in 6. (ubi assassiniij crimen declaratur) solum de mandante dicit , quod puniendus sit pœnis assassiniij , quamvis mors non sequatur , nihil dicendo de mandatario ; quapropter cum nihil dicat de mandatario , relinquatur mandatarius , qui mortem non intulit , dispositioni iuris communis disponentis , quod nemo ob vulnerationem tantum immunitate priuatur. Atque ita docent complures Doctores , quos refert , & sequitur Farinacius *de homicid. quasi. 123. numero 77.* & *de immunitat. cap. 8. numero 123. in fin.* Mascardus *de probat. concl. 138. numero 2.* & 5. Suarez *cit. lib. 3. cap. 11. num. 14.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 9.* Zeuall. *commun. contra comm. q. 540. num. 5.* & seqq. Diana